

in eodem exemplo nisi ad identificandos terminos in ordine ad conversionem propositionis; et ideo verbum est in propositione terminorum identificativa „Pius IX est aliquis qui etc.“ est copula principalis: praedicatio autem formae de subjecto seu regiminis de Pio IX nequit fieri per propositionem terminorum identificativam, sed per unitivam, nam regimen Ecclesiae asseritur quidem Pio IX, sed non identificatur cum eo. In praedicatione itaque alicujus actionis vel passionis de suo subjecto opus est adhibere tempus verbi quod sit praesens respectu subjecti propositionis et actionis vel passionis ejus, non respectu loquentis vel pronuntiantis iudicium. Secernere ergo oportet quaestionem de conversione propositionis a quaestione de relatione inter praedicatum et copulam: nam ad conversionem propositionis faciendam termini ejus et etiam copula variari possunt, dummodo iudicii identitas in sua simplicitate vel indivisibilitate salvetur; verum propositionis identitas secundum relationem inter praedicatum et copulam exigit omnino ut praedicatum et copula idem prorsus significant, secundum formam et tempus, atque verbum adjectivum quod in ea resolutum est, ut verificatur si propositio „Pius IX rexit Ecclesiam“ resolvatur in „Pius IX fuit regens Ecclesiam“. Relinquitur ergo omnia tempora modi indicativi habere vere et proprie rationem verbi propter affirmationem qua praedicatum componitur subjecto; et dici simul posse casus verbi quatenus verbum declinatur per tempora, seu comparate ad verbum praescindens ab omni tempore.

### „Orationes Christi in psalterio“.

Confer tom. XXII. p. 203—218.)

#### I. Ps. 40 (39), Oratio Christi intrantis in hunc mundum

a Fr. de Sales Tiefenthal a Tiefenkastell, O. S. B.

Sunt qui dicant: Satis habemus, si quotidie quomodoocumque persolvamus officium canonicum, ad quid nos preterea fastidiri studio sacrarum scripturarum. Qui certe non grato animo feruntur erga Deum pro dono divinarum literarum. A quibus nos avertebant, nos convertimus ad explanandum ps. 40, qui est secundum vitam Christi prima eiusdem oratio in psalterio.

Ponderatis verbis s. Pauli ad Hebraeos 10, 4—10: „Ἀδύνατον γὰρ αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας. Διὸ εἰς ἡμᾶς εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον λέγει· „Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατήστισα μοι. Ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ εὐδόκησας. τότε εἶπον Ἰδοὺ ἔρχω, ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, τοῦ ποιῆσαι, ὁ θεός, τὸ θέλημά σου.“ Ἀνώτερον λέγων· „Ὅτι θυσίαν καὶ προσφορὰν καὶ ὀλοκαυτώματα καὶ

περὶ ἀμαρτίας οὐκ ἠθέλησας οὐδὲ εὐδόκησας“ (αἵτινες κατὰ τὸν νόμον προσφέρονται), τότε εἶρηκεν „Ἴδοὺ ἦκω τοῦ ποιῆσαι τὸ θέλημά σου“ Ἀναίρει τὸ πρῶτον, ἵνα τὸ δεύτερον στήσῃ Ἐν ᾧ θελήματι ἡγιασμένοι ἐσμέν διὰ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐφάπαξ“ — concludere tenemur, totum hunc psalmum esse orationem Jesu Christi intrantis in hunc mundum, quamvis in ea non semper loquatur nomine proprio, sed interdum nomine synagogae illius temporis. Quo sensu Origenes ad v. 7 scripsit: „Hosce versiculos ex persona Salvatoris dictos esse tradit epistola ad Hebraeos, et praebet occasionem totum hunc psalmum ex eisdem persona intelligendi“ (Migne Patr. gr. 12, 1410). Item dicit s. Ambrosius: „Totus ex persona Christi psalmus iste est“ (Migne Patrol. lat. 14, 1120). Sed quamvis totus psalmus, ut diximus, sit Oratio Christi, nihilominus varia in eo non nomine proprio loquitur Christus, quia ei omnino non convenirent, uti videbimus, sed nomine synagogae illius temporis, imo nomine totius generis humani, quod in Vetere T. synagoga repraesentabat, sicut in Novo T. Ecclesia, nam Deus totum genus humanum in populo suo respicit, uti evincitur e Matth. 19, 28.

Ponimus primo locos, in quibus discrepant inter se textus hebraicus et latinus Vulgatae, secundo commentarium perpetuum.

## I.

Iis qui parvi pendunt locos discrepantes psalmorum, a nobis ad eorum maiorem intelligentiam propositos, in memoriam revocamus verba interpretis libri Ecclesiastici in praefatione: „Οὐκ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς ἑβραϊστὶ λεγόμενα, καὶ ὅταν πεταξθῆ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν.“ Posuimus propterea ad ps. 19 verba Leonis XIII. de hac re. — Sunt autem in hoc psalmo sequentes loci discrepantes:

Versu 1<sup>o</sup>. De לְמַנְצִיָּהּ, לְדָוָד et מְזִמּוֹר consulas ad ps. 19 dicta. Sublimitas huius psalmi in eo consistit quod praedicat sacrificium Crucis, subtilitas in exaltando tali modo Redemptionis generis humani, qui videtur Judaeis scandalum, Gentibus stultitia.

Versu 2<sup>o</sup>. וַיִּיָּטֵן potius est: et tetendit, et inclinavit, quam: et intendit. Insuper cum nos verba huius versus cum primis sequentis sic coniungeremus: Et inclinans aurem suam mihi, exaudivit vociferationem meam, patet, ultima verba aptius cum hoc versu coniungi, ut fit in biblia hebraica, quam trahi ad sequentem, ut fit in Vulgata. Denique שׁוֹעֲתִי potius est: vociferationem meam, quam: preces meas.

Versu 3<sup>o</sup> וַיַּעֲלֵנִי accuratius quam: et eduxit me, vertitur: ascendere me fecit. שָׂאון non est simpliciter: miseriae, sed: nteritus Jer. 25, 31. 46, 17. Sermo est hic de lacu, in quo quis ab irruentibus petris vel terrae molibus obrui periclitatur. — מְטִיט הַיּוֹן non est: e luto faecis, sed: e luto paludis, in quo quis pedem figere nequit. — Denique כּוֹנֵן non est: et direxit, sed: stabilivit, firmavit (est 3. pers. Perf. Polel a בּוֹן).

Versu 5<sup>o</sup>. שָׁם non significat: est, sed: posuit. De cetero LXX et Vulg. legerunt שָׁם pro שָׁם Secunda medietas versus: nec respicit ad fastuosos et declinantes ad mendacium. שְׂמִי part. a ἀπαξ λεγ. שׁוּט declinare. רָהֲבִים a ἀπαξ λεγ. רָהַב elatus, superbus.

Versu 6<sup>o</sup>. וּמַחְשְׁבוֹתַי et cogitationes tuas etiam est accusativus, dependens ab עֲשִׂיתָ. Porro Vulgata omittit אֱלֵינוּ quoad nos, pro nobis. Verba porro quae sequuntur: אֵין עֲרָךְ אֵלַיךְ

vertenda sunt: Nihil tibi comparari potest οὐκ ἔστι ἰσοῦν τί σοι. עֲרָךְ ut 89, 7. Isai. 40, 18. — Denique quod adhuc restat huius versus sic vertatur: Vellem quidem annunciare et edicere (mirabilia illa et cogitationes), sed plura sunt quam ut queant numerari.

Versu 7<sup>o</sup>. כָּרִיתָ non est: perfecisti neque fodisti, sed praeparasti, aptasti ut IV Reg. p. 23 et Os. 3, 2. LXX interpretes porro sumentes אֲזַנִּים pro synecdoche, posuerunt pro eo σῶμα, quos sequitur s. Paulus in ep. ad Hebr. 10, 5. Quo in casu forsitan et interpretes inspirati dici debent, sicut vix dubitari potest quin versio vocabuli צִמַּח apud Isaiam, Jeremiam, Oseam et Zachariam per ἀνατολή inspirata sit. Nec insimulari possunt interpretes, eos interpretationem eventui accomodasse, cum eam fecerint diu ante eventum. Insuper certo inter sacrificia convenientius corpus quam aures memorantur. Denique שְׂאֵלָתָּ sine dubio praesente verti debet, quia enunciat veritatem quae semper valet.

Versu 8° מְגִלָּה non est caput, sed volumen. In fine versus ponatur punctum.

Versus 9us. secundum veritatem hebraicam sic sonat: Facere voluntatem tuam, Deus mi, desidero, et lex tua in medio viscerum meorum.

Versu 10° לֹא אֶכְלָא est descriptivum et propterea non: non prohibebo, sed vel perfecto vel imperfecto vertatur.

Versu 11° קָהֵל sicut v. 10 melius ecclesia quam consilium verteretur.

Versu 12° כִּלָּא verti deberet sicut v. 10° prohiberē, continere vel similiter. — In initio versus nihil adest in hebraico pro autem Vulgatae. -- יִצְרוּנִי in fine non est: susceperunt me, sed: custodient me.

Versu 14° הוֹשֵׁה non est: respice, sed: festina, accelera. Item לְעֹזְרָתִי ad literam non est: ad adiuvandum me, sed: ad auxilium meum.

Versu 15° יִחַפְּרוּ non est: revereantur, sed: opprobrio afficiantur. Item וְיִבְלִמוּ potius est ignominia afficiantur, quam revereantur. Cfr. 35, 4.

Versu 16° עַל-עֵקֶב (a יִשְׁמוּ obstupescere, erstarren) בְּשָׂתָם non est: Ferant confestim confusionem suam, sed: obstupescant in meredem, quod aequat: propter (cfr. Isai. 5, 23. Ps. 109, 29. 35, 4. 26) flagitium suum. Vulgata derivavit יִשְׁמוּ a שׁוּם vel שִׁים et accepit עַל-עֵקֶב in sensu: confestim.

Versu 17° deest in hebraico et ante dicant.

Versu 18° עָנִי non est: mendicus, sed: afflictus, miser. עֹזְרָתִי ad literam non est: adiutor meus, sed: auxilium meum. Item מִפְּלִטִי non est: protector meus, sed: liberator, ereptor meus.

## II.

Totus psalmus, ut diximus, est oratio Christi intrantis in hunc mundum, qua a Deo prosperum successum operis Redemptionis obtinere intendit,

offerens corpus suum sacratissimum statim ac formatum esset in utero sanctissimae Virginis Matris suae Deo in sacrificium, memorans et desiderium Sanctorum Veteris Testamenti, ut Messias veniret, et miserum statum synagogae actualis. — Finis psalmi est excitare in omnibus hominibus magnum desiderium, ut perficiat Messias opus redemptionis et adimpleat omnes homines gratia sua sanctissima. Habet psalmus duas partes principales, in quarum prima Servator laetatur, in secunda timet.

*Pars prima* habet quatuor strophas. In prima exprimit Servator nomine synagogae laetitiam de adventu Messiae et de opere ab eo perficiendo, de quo tamen sic loquitur ac si iam perfectum esset. In secunda sacratissimum Cor Jesu praeclaram gratiarum actionem effundit ad Deum pro opere Redemptionis v. 5—6. In tertia Servator, adhuc in utero sanctissimae Matris suae inclusus, se Deo Patri suo ad se sacrificandum in Cruce paratum et proptum sistit v. 7—9. In quarta loquitur Servator perfectis propheticis de fundanda Ecclesia v. 10—11.

In *secunda parte* agit Servator de impedimentis vincendis in redimendis hominibus, et quidem in quinta strophâ de multitudine peccatorum v. 12—13, in sexta de malitia adversariorum v. 14—16, in septima de parvitate et tenuitate propria, apparente saltem secundum humanitatem v. 17—18.

Pergamus ad exponendam primam stropham, quae inscribi potest Gaudium ob opus Redemptionis.

V. 2. Exspectans exspectavi Jehovah,  
Et inclinavit (aurem suam) mihi, et exaudivit vociferationem meam.

V. 3. Et adscendere fecit me a fovea interitus, a luto paludis,  
Et statuit super petram pedes meos, firmavit gressus meos.

V. 4. Et dedit in os meum canticum novum, laudem Deo nostro.

Videbunt multi et timebunt et sperabunt in Jehova.

Versu 2<sup>o</sup> exprimit Christus nomine synagogae maximum desiderium, quo tenebatur bona pars synagogae, ut Messias veniret, et adimpletionem huius desiderii quamvis Messias adhuc lateret in gremio sanctissimae Genitricis suae, et nulli hominum praeter eam notus esset. Omnino similis huius strophae quoad argumentum est prima pars Cantici Canticorum 1, 2—5, 1., de quo consulatur Commentar. nostrum. Optime ad hunc locum adnotavit s. Bruno Astensis: „Omnes patriarchae et prophetae, alique omnes quos

s. Spiritus illuminavit, Christi adventum cum magno desiderio exspectabant. Unde et ipse Dominus ait: »Multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt, et audire quae vos auditis, et non audierunt« (Matth. 13, 17) . . . . De his erat vir ille iustus Simeon (Luc. 2, 26) . . . . Hunc autem illi exspectabant, et Dominus respexit eos, et exaudivit deprecationem illorum, mittens eis in tempore praefinito, quem tanto tempore exspectaverant.<sup>4</sup> Migne Patr. l. 164, 835. Cfr. Galat. 4, 4. Consulatur etiam s. Ambros. apud M. P. l. 14. a col. 1110 ad c. 1112.

Versu 3<sup>o</sup> item loquitur Servator nomine synagogae, anticipans excellentiam Novi Testamenti fundandi prae Vetere Testamento abolendo. Fovea interitus et lutu paludis designatur Vetus Testamentum ob magnum discrimen salutis, in quo Judaei versabantur, quod illustratur dicto s. Pauli: »Lex iram operatur« Rom. 4, 15 et longa sectione illius epistolae a cap. 2<sup>o</sup> ad cap. 11<sup>um</sup>, qua apostolus probat, Judaeos non minus quam gentes egere gratia ad bene sancteque vivendum; petra autem est oeconomia salutis Novi Testamenti, id est, Ecclesia, quae etiam alibi comparatur cum petra ex. g. Matth. 16, 18., domo ps. 93, civitate ps. 48 inconcussa. Ubi autem haec firmitas Ecclesiae sublimius celebratur quam in Apocalypsi? Non solum autem Ecclesia inconcussa est, sed etiam multo plura et securiora praebet singulis media perveniendi ad salutem, quam praebat synagoga. Bene propterea s. Thomas de hoc psalmo dicit: »Psalmus iste mystice agit de mutatione Veteris Testamenti in novum.« Licet praeterea huc apponere verba ex Imitatione Christi: »Domine, quia tu patiens fuisti in vita tua, in hoc maxime implendo praeceptum Patris tui: dignum est, ut ego misellus peccator, secundum voluntatem tuam patienter me sustineam: et donec ipse volueris, onus corruptibilis vitae, pro salute mea portem. Nam etsi onerosa sentitur praesens vita, facta est tamen iam per gratiam tuam valde meritoria: atque exemplo tuo, et Sanctorum tuorum vestigiis, infirmis tolerabilior et clarior. Sed et multo magis consolatoria quam olim in lege veteri fuerat cum porta coeli clausa persisteret, et obscurior etiam via ad coelum videbatur. . . . Sed neque qui tunc iusti erant etsalvandi, ante passionem tuam et sacrae mortis debitum, coeleste regnum poterant introire. L. 3. c. 18. n. 2. Et verba s. Ambrosii: »Gaudentes iam canimus hymnum Deo nostro, quia novarum virtutum praecepta cognovimus: ut nostra omnia relinquamus, Christum sequentes, et nostros diligamus inimicos. Novos etiam hausimus mores ut pro persequentibus nos, precem Domino deferamus. Maledicentes ecce benedicimus. Nescimus opera nostra iactare, aut celare peccata. Angelorum etiam more nuptias refutamus.« M. P. l. 14, 1109—1110.

In prima parte versus 4i anticipat Servator nomine synagogae gratiarum actionem pro opere redemptionis. Bene dicit hanc gratiarum actionem canticum novum quia agitur de opere magnificentissimo bonitatis Dei, quale Deus antea nunquam patrarat, et vocat Deum nostrum, quia idem Deus qui se manifestavit in synagoga perficiet redemptionem. In secunda parte praedicat consequentiam operis redemptionis, quae erit conversio multorum. Hi contemplantes opus Christi et praedicationem evangelii, incipientes vereri abyssum consiliorum Dei, et se convertentes ad Messiam, spe roborati pergunt viam salutis. „Canticum novum, canticum prius inauditum, evangelica praedicatio est, in qua Christi nativitas, passio, resurrectio, et ascensio declaratur. . . . Judaei infelices nolunt cantare nisi canticum vetus.“ St. Bruno Ast. 164, 836.

Forsitan nullibi tam praeclara gratiarum actio ad Deum directa pro opere redemptionis, proveniens a sacratissimo Corde Jesu invenitur sicut in sequente Stropha secunda.

V. 5. Beatus vir qui ponit Jehovam fiduciam suam  
Et non se convertit ad superbos et deflectentes ad  
mendacium.

V. 6. Multa facis tu, Jehova Elohai, mirabilia tua et cogitatus  
tuos pro nobis.

Nihil tibi comparari potest:  
Ea quidem annuntiare et eloqui vellem,  
Sed enumerari non possunt.

V. 5. Hic versus a Christo tum nomine proprio tum nomine synagogae dictus accipi debet. Beatum dicit Christus illum qui per Messiam adhaeret Deo et non ponit fiduciam suam in machinationes et mendacia principum Judaeorum et Romanorum. Optime traduci potest hic versus ad habendam fiduciam in Deo, et non in hominibus: de qua se loquitur Imitatio Christi l. 3. c. 59. Bene etiam dicit s. Hieron.: „Felix illa anima, quae habet fidem firmam et spem directam in Christo.“ M. P. l. 26, 1001. Item dicit s. Bruno Ast.: „Sit igitur nomen Domini spes nostra, et in cunctis nostris necessitatibus ipsum invocemus.“ 164, 836. Et Cassiodorus: „Nomen Domini inter caetera Salvator aeternus est: et ille spem suam ponit in eius nomine qui se non suis meritis, sed ab eo per eius gratiam credit esse salvandum.“ Ibid. Convenientissime propterea nomen Jesus, quo et Salvator et opus eius in mentem revocatur, proprio cultu celebratur in Ecclesia, et concesserunt Sixtus V, Benedictus XIII et Clemens XIII illud in vocantibus indulgentias (Raccolta p. 48). Item concessit Clemens X

indulgentias recitantibus sic dictam Coronam Domini (Raccolta p. 42—48).

V. 6. Hoc in versu Servator se comprehendens cum synagoga, agnoscit innumera et immensa bona, quae Deus iam fecerat vel adhuc facturus erat ad redimendum genus humanum. Certo nemo haec tam bene noverat sicut Cor divino humanum Jesu. Optime perinde de decreto Redemptionis canit Dante:

„Quaesto decreto, frate, sta sepulto  
Agli occhi di ciascuno, il cui ingegno  
Nella fiamma d'amor non è adulto.“

Parad. c. 7. v. 58—60.

Stropha tertia apogaeum est psalmi in quo Servator, statim ac conceptus esset, se Deo Patri suo ad se sacrificandum in cruce paratum et promptum sistit.

V. 7. Sacrificium et oblationem non vis,  
Aures (corpus) aptasti mihi:

Holocaustum et victimam pro peccato non postulas.

V. 8. Tunc (propterea) dico: Ecce venio: in volumine libri  
scriptum est de me.

V. 9. Facere voluntatem tuam, Elohai, desidero,  
Et lex tua est in medio viscerum meorum.

V. 7. Dicit hic Christus ad Deum: Ecce, Deus mi, paratus sum subire sacrificium, quia omnia sacrificia Veteris Testamenti impotentia sunt ad conciliandos homines tecum. Non vis aequat impotentia sunt. Sacrificiis autem V. T. certe multo aptius opponitur corpus quam aures. Si autem adversarii dicunt, standum esse ad lectionem, respondemus sicut supra, has positas esse pro toto corpore, vel hoc fuisse mandatum, quod acceperat Filius a Patre, ut subiret crucem. Quatuor nomina sacrificiorum hic posita sic inter se se habent: זֶבַח et מִנְחָה omnia sacrificia V. T.

respectu eorum materiae, עֹלָה et חֲטָאֵה respectu eorum finis (expiatio et coniunctio cum Deo) designant. Bene adnotavit ad h. l. s. Bruno Ast.: „Sacrificia itaque et oblationes usque ad Christum suum tempus habuerunt, quia Christi passionem significabant. Deinde vero necessaria non fuerunt, quia debuit cessare umbra, veniente veritate.“ 164, 837. Item scripsit s. Cyrillus Alex.: „Quia, inquit, o Pater, legalia sacrificia iam respuis, . . . venio corpore sumpto, quod tu mihi perfecisti. Etenim sanctus Spiritus et Altissimi virtus sanctam Virginem obumbravit . . ., ut memet offeram ceu hostiam immaculatam, finemque imponam legis ritibus qui peccata auferre non valent.“ Migne P. gr. 69, 987.

V. 8. Continuat Servator loqui de promptitudine sua ad subeundam crucem, dicens: Haec est voluntas tua, o Pater, summa omnium quae continentur in volumine libri, id est, in Vetere T. de me. „Caput libri vocat omnem scripturam legalem. Omnes enim scripturae quasi in compendium quoddam redigunt praedictionem de Christo.“ Origenes P. gr. 12, 1410. מְנִלֵּת-סֵפֶר

ergo est designatio sacrae scripturae Veteris T. in quantum tempore compositionis huius psalmi extabat, imo totius V. T., quia priores libri posterioribus evolvuntur. Sic ex g. praedictio liberationis hominum per semen mulieris, quod est Christus, iam continetur in Proto Evangelio Gen. 3, 15.<sup>1)</sup> Quidnam de Christo scriptum sit in volumine libri non exprimitur, sed facile subintelligitur, ipsum fore Redemptorem generis humani per sacrificium Crucis.

„Pie Pellicane Jesu Domine,  
Me immundum munda tuo sanguine,  
Cujus una stilla salvum facere  
Totum mundum quit ab omni scelere!“

Bene propterea Clemens IX. sibi pro insigni elegerat pellicanum cum epigrammate: Clemens aliis, non sibi. — Concludamus ex dictis etiam, quantum faciendum sit „volumen libri“.

V. 9. Confirmat Christus promptitudinem suam ad se sacrificandum in Cruce secundum voluntatem Patris, dicens: Facere voluntatem tuam, Deus mi, desidero, et lex tua est in medio viscerum meorum vel cordis mei. Christus vocat ergo Patrem Deum suum sicut in Apoc. 2, 7. 3, 2. 12. et Vetus T. legem Dei, nam, ut concludimus e contextu, תּוֹרַתְךָ huius versus idem est cum מְנִלֵּת-סֵפֶר praecedentis. Inferamus etiam ex hoc, quanti

faciendum sit Vetus T., cum a Christo ipso expresse vocetur lex Dei, quam se habere in corde suo adiungit. Quantum ergo amavit illam legem, quantum oportet ut etiam nos eam amemus. Non mirandum est ergo, quod in vita sua omnibus praeceptis legis se submiserit, et quod dixerit: Non veni solvere legem, sed adimplere, et: Jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant. Matth. 5, 17, 18.

Pergit Servator loqui perfectis propheticis de fundanda Ecclesia in Quarta stropha.

V. 10. Annuntiavi iustitiam in Ecclesia magna,  
Ecce labia mea non prohibebam;  
Jehova, tu nosti!

<sup>1)</sup> Confirmat hoc Leo XIII. in ep. encyclica ab eo data de Jesu Christo Redemptore die 1. Nov. 1900.

V. 11. Justitiam tuam non abscondi in medio cordis mei,  
Veracitatem tuam et salutem tuam dixi,  
Non celavi gratiam tuam et veritatem tuam  
Ecclesiae magnaë.

Loquitur in his duobus versibus Christus de futura prædicatione evangelii sic ac si iam facta esset.

V. 10. Occurrit hic verbum בְּשֵׁרְתִי quod proprie usurpatur de nunciando bono et laeto nuncio novi testamenti, a quo et evangelium בְּשִׁוּרָה dicitur, prout ostendi in commentario meo in evangelium s. Marci a pag. 48 ad 50. Hic ergo loquitur Christus de Ecclesia catholica iam fundata. Dicendo בְּשֵׁרְתִי monstrat, se per apostolos suos locutum esse. Nominando doctrinam Ecclesiae iustitiam, ostendit eam niti vicaria satisfactione Christi pro hominibus, et applicatione fructuum eiusdem hominibus. Addendo: ecce labia mea non prohibebam, innuere videtur dictum s. Pauli, doctrinam Crucis Judaeis esse scandalum, gentibus autem stultitiam; verbo denique ultimo: Jehova, tu nosti, miratur de tam prospero successu prædicationis evangelicæ, obstantibus tot impedimentis, ita ut bene cantet Dante

Se il mondo si rivolse al Cristianesimo,  
Diss' io, senza miracoli, quest' uno  
È tal, che gli altri non sono il centesimo.

Parad. c. 24, v. 106—108.

V. 11. Amplificat Christus ea quæ in præcedente versu enuntiavit. Dicit ergo 1<sup>o</sup> se non abscondisse in corde suo iustitiam Dei, quod nos præcipue intelligimus de intentatis Judæis poenis ob Deicidium, quia agitur hic de re ut videtur, qua homines quodammodo cogantur ad agnoscendum Messiam. Ad quod pro duris cordibus et obstinatis imprimis inserviunt poenæ intentatæ et adimpletæ. — 2<sup>o</sup> se veracitatem et salutem Dei dixisse, quod primum nos interpretamur de adimpletis promissionibus Veteris T. de Messia, secundum de bonis obtentis per Messiam. — 3<sup>o</sup> se non celasse gratiam Dei et veritatem eius Ecclesiam magnam, quo modo modestissimo confirmat iam dicta, simul indicans, thesaurum Ecclesiae constare veritate et gratia.

Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί  
ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι  
ᾧφθη ἀγγέλοις  
ἐκηρύχθη ἐν κόσμῳ  
ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. I. Tim. 3, 16.

Post descriptam laetitiam de bonis redundantibus a redemptione in prima psalmi parte, agit Christus in *secunda parte eiusdem de timore ob impedimenta vincenda in redimendis hominibus.*

Primum horum impedimentorum sunt peccata, de quibus dicit in Quinta stropha:

V. 12. Tu Jehova, non prohibebis misericordias tuas a me,  
Gratia tua et veritas tua semper me custodient.

V. 13. Nam circumdederunt me mala usque adeo ut non  
sit numerus,  
Comprehenderunt me iniquitates meae et non habeo  
vim ad videndum:

Plures sunt capillis capitis mei,  
Et cor meum dereliquit me.

V. 12. Loquitur hic Christus nomine boni seminis synagogae, a quo Deus non prohibebit misericordias suas, imo super quod eas largissime effusus est per Messiam, et quod gratia interna et illuminatione semper custodiet, ita ut non aberret a tramite populi Dei, sicut revera factum est, nam primitiae Ecclesiae et sancta radix Ecclesiae fuerunt e Judaismo. Consulantur ps. 45, prima pars sacri Cantici, Rom. cap. 9—11 etc.

Recordare, Jesu pie,  
Quod sum causa tuae viae:  
Ne me perdas illa die!

Attendatur, hic sicut iam v. 11 gratiam poni ante veritatem ad innuendam infirmitatem voluntatis humanae. Quapropter et Paulus loquens de aberrationibus generis humani statim adiungit cogitationibus vanis obcaecationem cordis insipientis Rom. 1, 21.

V. 13. Loquitur hic Christus nomine synagogae sibi bene consciae suorum plurimorum et maximorum peccatorum, ob quae quidem reprobari mereretur, sed quae nihilominus in spem se erigens veniam sperat. Loquitur Christus item nomine totius generis humani, ut supra diximus. Mala, de quibus hic sermo est, sunt peccata, transgressiones sanctae legis Dei. Quae ita circumdederant tempore Incarnationis Dominicae nationem Judaeorum et gentes, ut revera essent absque numero. Describit Paulus miserum statum gentium Rom. 1, 18—32, Daniel 7, 9. Paulus Judaeorum Rom. 2, 1—29. 7, 5. 7—14. 8, 2—9. omnium hominum 3, 9—20. 6, 17. 19—21. 7, 17—24. Cfr. etiam Gaume, la révolution. — Idem quod in primo dicitur in secundo membro: Comprehenderunt me etc., in quo natio Judaica comparatur cum homine aegroto a viribus vitalibus ita derelicto, ut iam incipiat lux oculorum obtenebrescere et cuius mors in proximo exspectetur. — Tertium membrum, exaggerans multitudinem peccatorum (ob

capillos capitis adeas Luc. 12, 7), respondet primo, et quartum, describens defectum virium vitalium, secundo. Conferatur oratio Danielis 9, 3—13 et Baruch 1, 15—3, 8.

Rex tremendae majestatis,  
Qui salvandos salvas gratis,  
Salva me, fons pietatis!

La pena dunque, che la Croce porse,  
S' alla natura assunta si misura,  
Nulla giammai si giustamente morse:  
E così nulla fu di tanta ingiura,

Guardando alla Persona che sofferse,  
In che era contratta tal natura.

Dante, Parad. c. 7, v. 40—45.

Post descriptum primum impedimentum salutis, pergīt Christus ad exponendum secundum, quod sunt adversarii, in Sexta strophā.

V. 14. Complacēat tibi, Jehova, ut eripias me,  
Jehova, ad auxilium meum festina!

V. 15. Pudore afficiantur et erubescant pariter quaerentes  
animam meam ad perdendam eam,  
Avertantur retrorsum et probro afficiantur volentes  
malum meum!

V. 16. Desolentur in mercedem ignominiae suae  
Qui dicunt mihi: Euge, euge!

V. 14. Loquitur in hoc versu Christus tum nomine proprio, petens liberari a malis passionis, tum nomine synagogae, optans, ut liberetur ab inimicis tum visibilibus tum invisibilibus, ut praeservetur a defectione a Messia etc. Similia sicut hic legimus 35, 22—24. 69, 15—22. 109, 21—25. 22, 20—22. Consulatur insuper praecipue Cantic. Cantic. 1, 7 (6).

V. 15 et v. 16. Et in his duobus versibus orat Christus et nomine suo et nomine synagogae. Distinguuntur tres classes inimicorum: 1<sup>o</sup> tales qui quaerunt auferre vitam sive Christo, sive synagogae, sive utrique: qui ut patet, peccant contra quintum Decalogi praeceptum. — 2<sup>o</sup> tales qui volunt malum, desiderant malum, invident bono. Invidia autem est peccatum capitale. — 3<sup>o</sup> tales qui gaudent de malo. Apostolus autem dicit: „Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.“ Rom. 12, 15.

Hisce versibus simillima obveniunt in praecitatis psalmis, qui propterea recolantur.

Denique loquitur Christus de tertio impedimento operis sui, de parvitate et tenuitate propria, apparente saltem secundum humanitatem, et syna-

gogae, in septima stropha, ultima psalmi, in qua nihilominus prosperos dicit omnes qui sincere quaerunt Deum.

V. 17. Exultent et laentur in te omnes quaerentes te,  
Dicant semper: Magnificetur Jehova, diligentes  
salutem tuam.

V. 18. Ego quidem sum afflictus et pauper,  
At Adonai cogitabit de me.  
Auxilium meum et liberator meus es tu!  
Deus mi, ne tardes!

V. 17. Semper bono animo esse possunt ii qui sincere Deum quaerunt, nam signati sunt in fronte ut servi Dei Apoc. 7, 3. Vide etiam ibid. 1, 7. Fere idem ac hic legitur 35, 27. Salus tua hic est illa quam impertitur Deus servis suis ob merita Christi, est Christus ipse. „Sicut enim moeror et tristitia exspectat malos, ita gaudium et aeterna laetitia exspectat bonos, qui Christum Dominum nostrum diligunt, et quantum possunt extollunt et magnificant.“ St. Bruno Ast. 164, 839. Multum propterea Papae laudandi sunt qui laboraverunt pro dilatando nomine Christi, uti B. Urbanus V, Gregorius XV, Urbanus VIII. Attendatur ad תְּשׁוּעָתְךָ, quod affine est cum dulci nomine Jesu et in mentem revocat unigenitum a Patre, quem misit Salvatorem mundi.

V. 18. Etiam hunc versum Christus nomine proprio et synagogae orat Dicit ergo, se et synagogam esse afflictos (35, 10. 69, 30. 109, 16. 22. 22, 25) et pauperes (35, 10. 109, 31. 16. 22), sed Jehova cogitabit mihi, h. e., de me (יְהוָה־שָׁבַר־לִי), cfr. מְחַשְׁבֵי־יָדָי v. 6 et Jon. 1, 6), consulendo mihi. Adeatur caput 18 libri 3i de imit. Christi: „Quod temporales miseriae, exemplo Christi, aequanimiter sunt ferendae.“ Quantum synagoga tempore incarnationis Dominicae impeteretur ab hostibus tum externis uti a Romanis, ab Herode etc., tum internis, uti a Phariseis et Sadducaeis etc., discatur ex historia. Concludit Orans Orationem gemitu: Auxilium meum et ereptor meus (18, 3. 70, 6. 144, 2. II. Sam. 22, 2) es tu: Elohai, haudquaquam moram facias. Similiter Daniel, accepturus vaticinium de septuaginta hebdomadis, oraverat: „Adonai audi, Adonai dimitte, Adonai attende et fac! ne moreris propter temetipsum Deus meus“ etc. 9, 19. Pari modo docuit Dominus Noster orare: Adveniat regnum tuum et dicit Joannes in fine Apocalypseos: „Ἐρχου, κύριε Ἰησοῦ!“

Commendatur opus Jesuitae Coleridge: The life of our life, vita Jesu Christi, in cuius initio diffuse disserit de vita Messiae in utero ssmae Matris suae.

## Gedanken über die Vereinigung von Benedictiner-Klöstern zu Congregationen und über die dabei zu beachtenden Grundsätze.

Von P. Edmund Schmidt in Metten.

Beim Lesen dieses Artikels wird wahrscheinlich dem einen und anderen Mitbruder der Gedanke aufsteigen, er enthalte nur selbstverständliche Dinge, Binsenwahrheiten, so dass es sich nicht der Mühe lohne, sie auch nur niederzuschreiben, geschweige denn, sie drucken zu lassen, da es ja doch nur Sätze seien, die einem jeden der einfache Hausverstand eingebe. Nichtsdestoweniger glaubte ich bei deren Zusammenstellung nichts Ueberflüssiges zu thun, weil die Geschichte unserer Klöster und unseres ganzen Ordens in alter und neuer Zeit zur Genüge beweist, dass nur zu oft auch einfache Weisheitslehren und bittere Erfahrungen unbeachtet bleiben oder doch nicht hinreichend gewürdigt und berücksichtigt werden. Ich möchte diese Erwägungen der Oeffentlichkeit übergeben, damit das beissende Wort Hegels, die Geschichte sei die Lehre von der Unfähigkeit der Menschen, aus der Vergangenheit zu lernen, nicht auch auf uns Anwendung finde.

### I.

Man vermisst in der Regel des hl. Benedict Anordnungen und Rathschläge über die Vereinigung mehrerer Klöster zu einem einheitlichen Verbands, um „*viribus unitis*“ den sicheren Bestand und den guten Zustand der verbündeten Klöster zu wahren und zu verbürgen und auch je nach den Verhältnissen eine grössere Wirksamkeit nach aussen und ein erhöhtes Ansehen zu erlangen.

Solche Klosterverbände sind aber unserem Orden unentbehrlich, ein Gebot der Nothwendigkeit; daher die vielen Versuche in alter und neuer und neuester Zeit; denn nach dem lauten Zeugnisse der Geschichte haben viele unserer Klöster aus Mangel an Zusammenschluss und einheitlicher Organisation schon unberechenbaren Schaden erlitten und erleiden solchen noch fort und fort, wo diesem Mangel nicht in einer dauernden, aber auch in einer dem Wesen unseres Ordens entsprechenden Weise abgeholfen wird. — Andererseits aber wird von Freund und Feind anerkannt, dass nach innen wie nach aussen immer Grosses geleistet worden ist, wo grössere Klosterverbindungen gelungen sind. Es genüge an Clugny und an die Mauriner zu erinnern.

Es ist ja unbestreitbar, dass die unierten Klöster nach dem bekannten Satze „*L'unité fait la force*“, in jeder Beziehung eine viel grössere Wirksamkeit zu entfalten im Stande sind, als die einzelnen Klöster; die Interessen des einen Klosters werden auch die Interessen der übrigen; Angriffe auf eines treffen sie alle und

rufen alle zur gemeinsamen Abwehr; in politischen und socialen Schwierigkeiten, wo die Gegner mit Vorliebe zur Maxime „Divide et impera“ ihre Zuflucht nehmen, wird durch die Vereinigung deren Anwendung wenigstens erheblich erschwert, während ein einzelnes Kloster nur zu leicht unterliegt. — Wie es sodann Aufgabe der Generalcapitel sein muss, gemeinsame Berathungen über alles zu pflegen, was zur Abwehr, beziehungsweise Heilung von jedem Schaden und zur Förderung jeglicher Wohlfahrt dienen kann, so haben sachverständige Visitationen für die Aufrechthaltung der Disciplin zu sorgen. — Ferner ermöglicht nur die Vereinigung mehrerer Klöster die Unternehmung grösserer, weit ausschauender Werke der Caritas und der Wissenschaft und auch eine geeignete Verwendung der Mitglieder und Benützung ihrer verschiedenen Talente und Gaben. — Ein letzter Vortheil der Congregation, dessen Bedeutung in die Augen springt, ist das Recht ihres Präsidenten auf Sitz und Stimme in den ökumenischen Concilien.

Diese Bildung von Congregationen hat jedoch nur dann, wie die Geschichte und die Erfahrung zeigen, Aussicht auf Erfolg und dauernden Bestand, wenn deren Verfassung, wie gesagt, der Natur unseres Ordens und den Grundsätzen der heiligen Regel entspricht, zugleich aber auch den verschiedenartigen Verhältnissen und den berechtigten Eigenthümlichkeiten und Existenzbedingungen eines jeden Klosters Rechnung trägt.

